



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

Distinctio Prima. De Natura Sacramentorum in genere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206



TRACTATUS XIV.

De Sacramentis.



Ixcellentiam Sacramentorum Legis Evangelicæ paucis Sacrosanctum Occumenicū Concilium Tridentinum complectitur, dum *Sess. 7. in Proœmio* verissime attestatur, quod per ea *omnis vera iustitia vel incipit, vel cepta augetur, vel amissa reparatur.* Hæc etenim septem Sacramenta, septem illæ sunt Columnæ, quas Æterna Sapientia de cælo descendens, & formam nostræ humanitatis suscipiens excidit, ut super eas Domum Ecclesiæ suæ firmissimam construeret; juxta illud Proverb. 9. *Sapientia edificavit sibi domum, excidit columnas septem.* Hæc insuper sunt septem illa Candelabra aurea, *Apoc. 1.* quibus mediantibus ad fideles Divinæ gratiæ lux diffunditur. Et rursus hæc sunt septem illæ stellæ, quas *cit. cap. 1. Apoc.* Filius Hominis, id est, Servator noster JESUS Christus, in dextera misericordiæ suæ, ac infinitæ Pietatis, ad illustrandam Ecclesiam suam habuisse legitur. De his ergo septem Sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis, tum in genere, tum in specie, in præsentī Tractatu planè utilissimo, scituque vel maxime necessario, Deo adjuvante tractabitur, ad infinitam & perennem Ejusdem laudem.

Excellentis
Sacramen-
torum novæ
Legis.

DISTINCTIO I.

De Natura Sacramentorum in genere.

QUÆSTIO I.

Quid, & quot sint Sacramenta novæ Legis?

Advertendum, quod variæ sint Sacramenti acceptiones: Sacramenti enim *Sacramentum à sacro* derivetur, inprimis Sacramentum sumitur à Juristis pro juramento, eò quod variæ acceptiones, sit

Rrrrr 3

fit sacra quædam & religiosa affirmatio, *can. Qui Sacramento, 22. q. 4. & alibi.* Deinde in S. Scriptura Sacramentum sumitur quandoque pro Myfterio, seu re arcanâ; ut Sapient. 2. *Nescierunt Sacramentum Dei.* Daniel. 2. *Mihi Sacramentum hoc revelatum est,* & alibi. Tertio, & magis ad propositum, sumitur Sacramentum pro Cæremonia sacra, seu hominem sacrate.

Sacramentū
in proposi-
to, quid?

3. **CONCL. I.** *Sacramentum*, prout in proposito accipitur, est signum sensibile, gratiam Dei, vel effectum ejus gratuitum, ex institutione Divina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris. Ita Doctor subtilis in 4. *dist. 1. quest. 2. cum suis.* Neque re ipsâ differt allata Sacramenti definitio ab alijs, quarum plures afferre solent Theologi Catholici; ut est illa Catechismi Romani: *Sacramentum est invisibilis gratia visibile signum, ad nostram justificationem institutum.* Verumtamen definitio Scoti naturam Sacramenti clariùs exprimit.

Quæ signū
sensibile,

4. Dicitur I. *Signum visibile, seu sensibile:* id est, externum, & in materia sensibili institutum. Nam, ut Sacramentum institueretur in tali signo sensibili, admodum congruum erat pro hoc statu; juxta illud D. Chrysostomi, Homil. 60. ad Populum: *Si incorporeus esses, incorporea dedisset ipse tibi dona: sed quia corpori conjuncta est anima tua, ideo rebus sensibilibus tibi intelligenda tradit.*

Ac efficaci-
ter signifi-
cans gra-
tiam?

5. Dicitur II. *Efficaciter significans gratiam Dei.* Quia Sacramentum non est quomodocunque signum ipsius gratiæ Divinæ, quæ confertur homini ritè illud suscipienti; sed est signum efficax, seu *efficaciter significans:* quia gratiam illam, quam significat, etiam causat in homine ex opere operato, quatenus ex Divina institutione, ac virtute meritorum Christi, infallibiliter confert gratiam homini dignè suscipienti Sacramentum

Per effectū
gratuitum,
quid intelli-
gatur?

6. Additur in definitione à Scoto allatâ, *vel effectum Dei gratuitum,* majoris claritatis gratiâ, & propter SS. Eucharistiæ Sacramentum, quod consistit *in facto esse,* ac primò & immediatè significat verum Corpus & Sanguinem Christi realiter sub Sacramento Eucharistiæ contentum; quod Christi Corpus, utpote: ex gratuita Dei voluntate ibidem existens, dicitur *effectus Dei gratuiti.* Quamvis postea idem Sacramentum etiam gratiam sanctificantem dignè sumentibus conferat ex opere operato.

Aliæ patri-
culæ defini-
tionis Sa-
cramenti.

7. Dicitur III. *Ex institutione Divina.* Quia Sacramenta rotam vim suam efficaciter significandi, id est, causandi gratiam in dignè recipientibus, habent ex institutione Divina, non autem ex natura sua intrinseca. Et additur, *ordinatum ad salutem*

hominis viatoris: ut insinuetur finis ille, propter quem Deus voluit instituire Sacramenta, qui est salus æterna hominis viatoris.

8. CONCL. II. Sacramenta Novæ Legis sunt septem, & Sacramenta nec plura, nec pauciora. Ita de Fide tenendum; ac præter per- nova Legis
petuam traditionem, sensumque Ecclesiæ, fuit definitum tum in sunt septem
Concilio Florentino, tum in Tridentino, Sess. 7. can. 1. his ver-
bis: Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia à JESU
Christo Domino nostro instituta; aut esse plura, vel pauciora quàm septem,
videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam ex-
tremam, Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum
septem non esse verè, & propriè Sacramentum: anathema sit.

9. CONCL. III. Certum insuper est, ac de Fide, omnia Sa- Et omnia à
cramenta novæ Legis esse à Christo Domino instituta. Patet Christo in-
hoc ex allegato textu S. Concilij Tridentini. Hinc S. Ambro- stituta.
sius lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. ait: Auctor Sacramentorum quis est,
nisi Dominus Jesus? De calo ista Sacramenta venerunt.

10. Objicitur breviter contra dicta. Septem sunt Ordines, Septem Or-
& quilibet eorum est Sacramentum; ergo computatis sex alijs dines con-
Sacramentis, plura sunt Sacramenta, quàm septem. Resp. ne- stituntur
gando consequentiam: quia omnes septem Ordines constituunt u-
in simul unum Sacramentum Ordinis. Idque fit tum unitate or- num Sacra-
dinationis, seu finis, in quantum omnes ordinantur ad unum Sa- mentum; &
cerdotium, ac ratione hujus recipiuntur: tum unitate generis quomodo?
proximi, quatenus omnes & singuli Ordines in particulari, con-
veniunt in ratione Sacramenti Ordinis ut sic, tanquam in genere
proximo. Et hinc omnes septem Ordines sub eodem nomine
Sacramenti Ordinis hic comprehenduntur.

11. Objicitur ulterius ab Hæreticis. Nullibi habetur in S. Instantia
Scriptura, quòd dentur septem Sacramenta; ergo ea non dan- hæretico-
tur. Resp. I. Neque in S. Scriptura ullibi dicitur, quòd dentur rum solvi-
duo, vel tria tantum Sacramenta, ut volunt Hæretici; ergo vel tur.
militat allata ratio contra ipsos nec Hæreticos, vel nihil probat.
Resp. II. negando consequentiam: quoniam hic Septenarius
Sacramentorum numerus constat tum ex perpetua traditione Ec-
clesiæ, definitione Conciliorum unanimique SS. Patrum con-
sensu; tum etiam satis benè deducitur ex diversis S. Scripturæ
locis, ut suo loco de singulis Sacramentis in specie agendo pa-
tebit.

An in Lege
Mosaica, &
statu Legis
Naturæ,
fuerit verū
Sacramen-
tum?

12. Quæres, an etiam in Lege Mosaica, ac statu Legis Naturæ, fuerit verum Sacramentum, conferens gratiam ex opere operato, atque in parvulis delens peccatum originale? Resp. affirmativè; prout tenet Scotus 4. diff. 1. q. 6. Nam, ut inquit D. Augustinus lib. 2. De nuptijs & concupiscentia c. 12. ac referetur c. Ex quo. de consecr. dist. 4. Ex quo instituta est Circumcisio in populo Dei (quod erat tunc signaculum justitiæ fidei) ad significationem purgationis valebat & parvulis originalis veterisque peccati: sicut & Baptismus ex illo valere cepit ad innovationem hominis, ex quo est institutus. Hoc ipsum, & quidem extendendo ad statum legis Naturæ, tradit idem D. Augustinus lib. 5. contra Julianum, cap. 11. ubi huic objicienti, quod in Lege Naturæ nondum fuerit Baptismus, respondet: De Baptismate verum dicit: nec ideo tamen credendum est, & ante datam Circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis; quamvis quod illud esset, aliquâ necessariâ causâ Scripturalatere voluerit. Concordat textus c. Majores. §. Cautè tamen, de Baptismo, ibi: Originalis culpa remittebatur per Circumcisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur. Atqui hoc non fit sine infusione gratiæ sanctificantis: non enim de Lege Dei ordinaria remittitur peccatum mortale, sive actuale, sive originale, sine infusione justificantis gratiæ; quia defactò non datur status medius inter filium Regni, & Gehennæ.

Declarantur
Authorita-
tes, quæ id
negant vi-
dentur.

13. Nec obstat, quod aliqui SS. Patres, ac præsertim Concilium Florentinum in Decreto Unionis, videantur oppositum tenuisse. Resp. enim, SS. Patres, & Concilia, dum negant, Sacramenta veteris Legis contulisse gratiam ex opere operato, loqui de Sacramentis improprie dictis: qualia fuerunt plurima Cærimonialia illius Legis, veluti Purgationes à tactu morticini per aquam expiationis, Purgationes à lepra, Aspersio sanguinis hircorum & vitulorum ad emundationem carnis, ac hujusmodi. Hæc enim non conferebant gratiam ex opere operato, sed solum ex opere operantis, quatenus pro tempore Legis veteris fiebant in Charitate, atque ex obedientia Deo præstandâ.

Circumci-
sio, quomo-
do dicatur
non contu-
lisse grati-
am?

Quod si aliqui SS. Patres dicant, etiam Circumcisionem non contulisse gratiam, loquuntur ipsi comparative ad gratiam Baptismalem: nam Circumcisio non contulit gratiam ut dispositionem immediatam ad cælum, sicut Baptismus; prout declaravit Pontifex cit. cap. Majores. de Baptismo, ibi: Quoniam est originalis culpa remittebatur per Circumcisionis mysterium, & damnationis.

uit periculum evitabatur; non tamen perveniebatur ad Regni celorum, quod usque ad mortem Christi fuit omnibus obferatum: Sed per Sacramentum Baptismi, Christi Sanguine rubricati, culpa remittitur, vitatur periculum, & ad Regnum celorum pervenitur.

14. Ex his patet, quod in Lege veteri, quæ incepit ab Abraham, aut (ut alij volunt) à Moysè, & duravit usque ad Christum Dominum, ejusmodi Sacramentum, & Remedium contra peccatum originale, quæ le antiquitas? Remedium contra peccatum originale, quæ le antiquitas? tra peccatum originale parvulorum, fuerit Circumcisio: quæ etiam conferebat gratiam aliquam ex opere operato, quam vis respectu Baptismi parvam admodum, & quæ non fuit immediata dispositio ad Gloriam Cælestem, eò quod fluxerit tempore, quo pretium nostræ Redemptionis per Passionem Christi actu exhibitam nondum fuerat persolutum. Cæterum in Lege Naturæ, quæ durabat ab Adam usque ad Abraham, vel Moysen, ejusmodi Remedium (quod etiam tempore Legis Mosaicæ adhibebatur foemellis) consistebat in aliquo actu externo, qui fuit veluti exterior Professio Fidei in Messiam venturum: quamquam incertum sit, quale illud in specie fuerit remedium, aut cæremonia.

QUÆSTIO II.

De Materia, & Forma Sacramentorum.

15. Sacramenta novæ Legis, ut proximè dictum, sunt signum sensibile; idque præcipuè fit ex eo, quod omnia novæ Legis Sacramenta consistunt, seu perficiantur ex materia, & forma sensibili. Siquidem, ut Concilium Florentinum in Decreto Unionis, post enumerata septem novæ Legis Sacramenta confiteretur; Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia: quorum si unum desit, non perficitur Sacramentum. Unde in præsentî Quæstione de Materia, & Forma Sacramentorum in genere, & in subsequenti de Intentione Ministri dicetur: quæ ut melius intelligantur, Sacramenta tribus perficiuntur; quibus?

16. Advertendum I. Quod omnia novæ Legis Sacramenta consistant in usu, & in fieri, excepto solo Sanctissimo Evcharistiæ Sacramento, quod est Sacramentum permanens, ac veluti in facto esse consistit. In prioribus enim idem est Sacramentum, ac perceptio Sacramenti: sic enim Sacramentum Baptismi, Sacramenta consistunt in usu, seu in fieri, præter Evcharistiæ, est

S IIII

est ipsamet perceptio Baptismi; nec permanet aliquid, quod est Sacramentum, cessante tali usu, seu receptione ejus. Nam post collationem Baptismi manet quidem in baptizato gratia Sacramentalis, & Character; hi tamen non sunt Sacramentum, sed effectus duntaxat ipsius Sacramenti Baptismi: & idem fit in alijs Sacramentis consistentibus in usu, seu *in fieri*.

Hic est Sa-

cramentum

permanens,

ac veluti

in facto esse

consistit.

17. Aliter dicendum de SS. Eucharistiæ Sacramento, quod habet rationem permanentis, ac veluti *in facto esse* consistit. Si quidem sub speciebus panis & vini consecratis Christus permanenter nobiscum esse voluit, semperque sub eisdem realiter præsens continetur, usque dum corrumpantur; atque idcirco tum in publicis Processionibus, tum ad infirmos, summâ cum reverentiâ circumferitur. Unde Eucharistia est Sacramentum etiam ante usum, seu actualem ejus perceptionem: quippe in termino prolationis formæ consecrationis jam incipit esse signum sensibile, ex institutione Divina efficaciter significans effectum Dei gratuitum, scilicet Corpus & Sanguinem Christi realiter contineri sub speciebus consecratis; quamvis postmodum dignè hoc SS. Sacramentum suscipientibus etiam gratia habitualis, seu sanctificans, ex opere operato conferatur.

Materia Sa-

cramento-

rum remo-

ta, & pro-

xima, quid?

18. Advertendum II. Quòd duplex sit Materia Sacramentorum consistentium in usu, seu fieri, remota scilicet, & proxima. *Remota materia Sacramentorum*, est res sensibilis requisita ad consecrationem Sacramenti: *Proxima* verò, est ipsamet debita applicatio hujus materiæ remotæ. Sic in Baptismo materia remota est aqua naturalis, seu elementaris: ablutio verò, per quam debito modo applicatur aqua naturalis baptizando, est materia proxima Baptismi. Et idem dicendum de Sacramento Ordinis, & alijs, prout in progressu magis patebit.

Forma Sa-

cramento-

rum, quæ?

19. Advertendum III. Quòd Forma Sacramentorum sint verba, quæ Minister in administratione Sacramenti ex institutione Divina profert. Sic forma Sacramenti Baptismi sunt verba illa, à baptizante proferenda: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Et eodem modo discurrendum de alijs verbis in administratione singulorum Sacramentorum necessario proferendis.

Utraque à

Christo fuit

determinata

quo ad sub-

20. CONCL. I. Materia, & forma omnium Sacramentorum novæ Legis, fuit à Christo Domino determinata quoad substantiam; non tamen ejusmodi determinatio in omnibus æqualiter facta. Prima pars est communis Theologorum. Si qui-

quidem Christus Dominus omnia isthaec Sacramenta instituit; ergo etiam determinare debuit eorum materiam, & formam, saltem quoad substantiam.

21. Altera pars est Suarezij p. 3, tom. 3. disp. 1. sect. 3. Mastrij ^{vel in specie infima, saltem in genere.} 4. disp. 4. num. 36. & 45. ac aliorum. Ratio est: quia in quibusdam Sacramentis res, seu materia, fuit à Christo Domino determinata in quadam specie infima; ut aqua naturalis in Baptismo, & oleum olivarum in Extrema Unctione: in quibusdam verò solum in genere; ut in Sacramento Ordinis. Prout hoc desumitur ex praxi primitivæ Ecclesiæ, quæ ante scriptiōnem Sacri Evangelij, atque Epistolarum Canoniarum, non potuit Diaconis & Subdiaconis in eorum Ordinatione tradere Librum Evangeliorum, ac Epistolarum: simulque ex praxi Ecclesiæ Græcæ & Latinæ, quarum quælibet validè conficit Sacramentum Ordinis, licet non conveniant in signo sensibili, seu materiâ Ordinandis porrigendâ quoad speciem; sed solum in genere, quatenus quolibet eorum significatur certa potestas in Ecclesia conferri ordinato. Simile quid contingit in Sacramento Eucharistiæ, pro cuius consecratione sufficit quicumque panis triticeus, sive azimus, sive fermentatus; ac vinum de vite, cuiuscunque sit speciei: item in Sacramento Pœnitentiæ, cuius materia remota sunt peccata actualia post Baptismum commissa, tum mortalia, tum venialia, huius vel illius speciei.

22. CONCL. II. Quælibet mutatio substantialis facta in materia, vel forma Sacramentorum, irritat Sacramentum; non item mutatio solum accidentalis. Ita certa, & communis Catholicorum. Et patet hoc ex praxi Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ, quarum utraque juxta determinationem Concilij Florentini validè conficit Sacramenta, quamvis in eorum collatione non nihil variant, sive in materia, sive in forma: nam variatio illa non est substantialis, sed solum accidentalis, ut magis in progressu patebit.

23. Quæres, quænam mutatio sit censenda substantialis, & quænam accidentalis? Resp. Mutatio substantialis tunc fieri censetur, quando secundum prudens iudicium non manet amplius eadem res in substantia, quam Christus determinavit pro materia Sacramenti: vel loquendo de forma, quando non manet in verbis eadem significatio; ita ut illa mutatio, quæ destruit sensum verborum à Christo institutum, sit substantialis; quæ verò non destruit, censetur accidentalis.

Et quæ talis sit?

Exempla
utriusque
mutationis
cetera mate-
ria.

24. Declaratur allata doctrina exemplis. Sic valet Baptismus, siue adhibeatur aqua putealis, siue pluvialis, dulcis aut amara, vel marina, siue consecrata (qualis extra casum necessitatis adhiberi debet) siue non consecrata: quia quolibet harum adhuc quoad substantiam est aqua naturalis, seu elementaris, quæ ex Christi institutione est materia necessaria Baptismi. Non autem valet Baptismus in vino, lacrymis, aut sputo collatus: quia talia ad substantiam non sunt aqua naturalis, siue elementaris. De illis autem liquoribus, de quibus dubium est, utrum adhuc retineant substantiam aquæ naturalis, nec ne (ut est tenue lixivium, aquilla, in qua carnes sunt decoctæ &c.) similiter dubium est, an sint materia sufficiens Sacramenti Baptismi. Et idem, servatâ tamen proportione, dicendum de materia aliorum Sacramentorum.

Et circa formam,

25. Similiter loquendo de forma Sacramentorum, si in forma Baptismi v. g. pro *ly baptizo* dicatur *abluo*; vel si omittatur pronomen *Ego*, aut si transponantur solummodo verba, manente tamen adhuc eadem significatione; vel si subtrahatur aliqua syllaba syncopando ex humana inconsideratione, siue propter impedimentum linguæ, aut ob imperitiam loquentis, ita tamen, ut adhuc audiens satis possit intelligere sensum & intentionem loquentis: tunc ejusmodi mutatio formæ Baptismi solum censetur esse accidentaliter, ac proinde Baptismus valere. & ita discurrendo de alijs Sacramentis. Aliud dicendum foret de tali mutatione, per quam sensus verborum formæ variatur: ut si in forma Baptismi omittatur *ly*, *In nomine Patris*; aut si dicatur cum Ariano, *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, & Filij minoris* &c. Hæc enim mutatio, vel additio, repugnat verbis principalibus formæ, sicque est substantialis; ac proinde per eam non conficitur Sacramentum. Et eodem modo discurrendum est de cæteris Sacramentis.

Requititur
simultas in-
ter materiã
& formam
Sacramen-
torum; &
qualis?

26. CONCL. III. Ad valorem Sacramentorum requiritur insuper aliqua simultas inter eorum materiã & formam: hæc tamen simultas non necessariò debet esse physica, vel mathematica (id est, talis, ut simul ac toto eodem tempore, quo v. g. profertur forma Baptismi, continetur ablutio baptizandi) sed sufficit moralis; id est, talis simultas, ut secundum moralem hominum æstimationem, spectatâ naturâ cujuslibet Sacramenti, una pars alterâ afficiat. Ita Scotus in 4. dist. 6. q. 3. ubi ait, quòd inter materiã & formam Sacramentorum talis simultas requiratur, qualis requiritur

vitur in actibus humanis : noluit enim Christus nos obligare ad tam subtilem simultatem, quam vix posset homo percipere, vel servare. Idem in re tenet communis Doctorum, & sufficit talis simultas, sive unio inter materiam & formam, ut unum moraliter, ac secundum communem hominum estimationem, censeatur afficere alterum, spectatâ naturâ cujuslibet Sacramenti.

27. Additur, spectatâ naturâ cujuslibet Sacramenti. Nam cum Sacramenta ex diversis actibus humanis consent, quorum aliqui majorem, alij minorem simultatem ex sua natura postulant; eadem diversitas etiam in Sacramentis observari debet, juxta naturam & varietatem illarum operationum, quibus Sacramenta constant. Hoc ipsum melius patebit inductione. Sic in Baptismo, Confirmatione, Extrema Unctione, ac Ordine requiritur, & sufficit talis simultas, ut unum non finiatur completè ante inceptionem alterius; ac proinde applicatio materiæ & prolatio formæ, quoad aliquam partem se contingant, ut sic Minister, dum verba profert, moraliter etiam censeatur abluere, inungere &c. Hinc in Baptismo requiritur tanta simultas, ut antequàm una pars finiatur, altera incipiat; id est, ut antequàm finiatur ablutio baptizandi, incipiat baptizans proferre formam Baptismi; & econtrâ, antequàm is finiat formam Baptismi, jam incipiat ablutionem. Et idem servatâ proportionem de Confirmatione, Extrema Unctione, ac Ordine dicendum est, atque in praxi semper observandum.

28. Nec obstat, quòd nonnulli Doctores sentiant, ad valorem horum Sacramentorum non requiri tantam simultatem; adeoque validum adhuc fore Sacramentum Baptismi, si statim post ablutionem jam finitam verba formæ proferantur, vel econtrâ: quia (inquiunt) adhuc talis intervenit simultas, ut juxta prudens judicium verba illa censeantur afficere ablutionem Baptismalem. Resp. enim, quidquid sit de probabilitate hujus sententiæ speculative loquendo, in praxi doctrinam superiùs traditam esse observandam: siquidem in administratione Sacramentorum tutior semper pars est sequenda, ne Sacramentum absque necessitate exponatur periculo invaliditatis. Unde

& Innoentius XI. inter alias sequentem, ordine i. damnavit Propositionem: Non est illicitum, in Sacramentis conferendis sequi sententiam probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, &c. (a)

Hac magis declaratur in 4. Sacramentis,

Quid de sententia minore simulatone requiratur?

(a) Vide Tr. 1. Dist. 3. n. 57. & 58.

SSSS 3

29. Cæ.

Eadem se-
multas o-
stenditur in
Sacramento
Eucharistiae,

29. Cæterum in alijs tribus Sacramentis multò maior, vel minor, inter materiam & formam requiritur si multas, prout natura cujusque, juxta Christi institutionem, ac prudens judicium exigit. Et quidem loquendo de Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, ad ejus consecrationem omninò requiritur, ut toto eo tempore, quo verba Consecrationis proferuntur, materia sit præsens: hanc enim ut præsentem significant pronomina demonstrativa *Hoc, & Hic.* Econtrà in Sacramento Pœnitentiæ multò major distantia admitti potest inter accusationem Pœnitentis, & absolutionem Sacerdotis: Siquidem hoc Sacramentum peragitur per modum Judicij; in Judicio autem accusatio præsupponitur absolutioni, nec requiritur, ut sententia Judicis cum accusatione ipsius Rei sit tempore conjuncta.

Pœnitentiæ,
&

Matrimonij,

30. Tandem in Sacramento Matrimonij potest consensus unius conjugis post consensum alterius tamdiu sequi, quamdiu hic moraliter permanere censetur; sicut accidere solet in alijs contractibus. Imò potest hoc Sacramentum, cum perficiatur per modum contractûs, etiam inter absentes, ac per Procuratorem ad hoc specialiter deputatum ritè celebrari, ut habetur *e. Accedens, de Procuratorib. juncto cap. ult. eod. in 6.*

Q U Æ S T I O III.

Quænam Intentio ex parte Ministri, ac Recipientis, requiratur ad valorem Sacramentorum.

Ratio ordi-
nis. 31.

Cum ex Concilio Florentino *num. 15.* relato constet, quòd *Sacramenta tribus perficiantur, rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* Explicatâ materiâ, & formâ Sacramentorum, in præcedenti Quæstione, restat, ut de Ministro atque intentione ex parte ipsius, simul ac ex parte recipientis Sacramentum requisitâ, nunc agatur.

Solus homo
viator est
Minister
Sacramen-
torum.

32. CONCL. I. Defactò, ac de lege Dei ordinaria, solus homo viator est legitimus Sacramentorum Minister. Ita communis; & desumitur ex illo *1. Corinth. 4. Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei.* Item ex illo *Matth. ult. ubi Christus solis hominibus viatoribus loquens, dixit: Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c. & alibi.* Quòd si quandoque in Sacris Historijs legatur, Sacramentum a-

Quid de
nonnullis
Historijs?

liquod

liquod ab Angelis fuisse ministratum, id factum est ex speciali ordinatione Divina, ac privilegio extraordinario.

33. CONCL. II. Ex Sacramentis aliqua requirunt Ministerium consecratum, alia etiam possunt à Ministro non consecrato perfici. Ita communis, & patet inductione. Siquidem Ministerium consecratum requirunt omnia, præter Sacramentum Baptismi, & Matrimonij. Baptismus enim in casu necessitatis à quocunque homine, sive masculino, sive fœmina, conferri potest: Matrimonium verò non nisi à personis solutis, inter se contrahentibus, perficitur. Porrò Eucharistia, Pœnitentia, & Extrema Unctio, requirunt Ministerium initiatum Sacro Ordine Presbyteratus. Tandem ordinarius Minister Sacramenti Confirmationis, sicut & Ordinis, est solus Episcopus, non autem simplex Sacerdos: quidquid sit, an ex speciali concessione SS. Pontificis secùs fieri possit, de quo suo loco. (a)

Aliqua Sacramenta requirunt Ministerium consecratum, alia non; & quæ?
(a) Tract. 14. Dist. 3. n. 46. & Dist. 12. n. 55.

34. CONCL. III. Intentio, quantum ad propositum, rectè dividitur in actualem, virtuales, & habituales. Ita communis. Et quidem Intentio actualis tunc habetur in administratione Sacramentorum, quando quis actu cogitat, & vult, seu intendit conficere Sacramentum, dum illud conficit. Intentio virtualis ea dicitur, quæ licet actu jam præterierit, adhuc tamen manet in virtute sua: & talis tunc censetur haberi, quando operans virtute actualis intentionis priùs habitæ facit omnia, quæ facit, tanquam ex radice; ita, quòd intentio illa actualis præhabita, fuerit principium ordinatum ad omnes actus subsequentes. Declaratur exemplo: Habuit quis v.g. intentionem actualem celebrandi Missam, atque ex hac voluntate induit se sacris Vestibus, & vadit ad Altare; dum celebrat autem, fit distractus, & ex distractione non considerat actualiter actum, quem exequitur: iste celebrans sic distractus dicitur celebrare cum intentione virtuali, quia virtute intentionis priùs actualiter habitæ celebrandi Missam, facit omnes illos actus concernentes Missæ celebrationem.

Intentio triplex, Actualis, Virtualis, & Habitualis, quæ?

35. Tandem Intentio habitualis aliud non est; quàm intentio merò præterita, & non retractata per actum contrarium, quæ tamen non amplius influit in effectum: ut, si quis semel intendat suscipere Sacramentum Baptismi, vel Confirmationis, & hanc intentionem suam non amplius retractet; is dicitur habere intentionem habituales suscipiendi tale Sacramentum, etiam

Habitualis, quæ?

tiam dum dormit, imò & post integrum annum, ac ultra, dummodò hanc intentionem interim non revocaverit.

Qualis requiratur ex parte Ministri ?

36. CONCL. IV. Intentio, quæ ex parte Ministri conficiendis Sacramentum requiritur, debet esse vel actualis, vel saltem virtualis; sola autem habitualis non sufficit. Ita Doctor noster in 4. dist. 6. q. 6. estque communis Theologorum. Ratio est: quia intentio ad Sacramentum conficiendum requisita, debet esse causa Sacramenti: talis autem non est sola intentio habitualis, bene tamen actualis, vel virtualis, in sensu superius explicato; quia hæc utraque influit in actum, estque causa ipsius, non verò sola intentio habitualis.

Quid observandum pro peccati ?

37. Cæterùm, licet intentio virtualis ex parte Ministri ad confectionem Sacramentorum sufficiat, ut tenent Theologi communiter, (nam intentionem actualem semper habere, & nunquam sub administratione Sacramentorum, & præsertim Sacramenti Pœnitentiæ in concursu Confitentium, mente distrahi, moraliter foret impossibile; cum & ipse Regius Psaltes conqueratur Psal. 39. *Cor meum dereliquit me*) adhuc tamen Minister Sacramentorum studiosè debet curare, ut quantum patitur humana fragilitas, ipse etiam intentionem actualem adhibeat: hæc enim actualis intentio est longè perfectior virtuali, & consequenter magis meritoria.

Intentio actualis in actu exercito, & in actu signato, declaratur.

38. Notandum tamen cum Cajetano *part. 3. q. 64. art. 8.* quamvis studiosè debeat Minister operam dare, ut etiam actualiter intendat conficere Sacramentum (ut proximè dictum) hoc non esse intelligendum in actu signato, sed in actu exercito. Non enim studendum est, ut habeamus hoc in mente actualiter, *Ego intendo conficere Sacramentum*; sed studendum, ut actualiter mens nostra ad ea, quæ sunt v. g. Consecrationis, attendat, utputà ad prolationem distinctam formæ, ad reverentem conrectationem materiæ, ad futuram tunc ineffabilem præsentiam Divinæ gratiæ in Sacramento, vel etiam ipsius Christi quoad Eucharistiam: hoc enim est celebrare cum actuali intentione in actu exercito. Ita Cajetanus. Et istam distinctionem actualis intentionis in actu exercito, & in actu (ut vocant) signato, etiam Arretinus in 4. dist. 6. q. 6. & Suarez, cum alijs agnoscunt, potèstque deservire pro remedio vanè nonnunquam scrupulosorum.

Intentio ex parte recipientis, an requiratur ?

39. CONCL. V. Loquendo de intentione ex parte ipsius suscipientis Sacramentum, in infantibus, & perpetuis amentibus, nulla requiritur intentio propria recipiendi Sacramentum. v. g. Baptis-

Baptismum : in alijs tamen, nempe in adultis usum rationis habentibus, omnino requiritur aliqua intentio, ita ut ipsis invitis ac repugnantibus non possit valide conferri Sacramentum. Ita decimum habetur c. *Majores. de Baptismo* ; ubi in primis, quantum ad parvulos dicitur : *Originale peccatum, quod sine consensu contrahitur, sine consensu per vim remittitur Sacramenti.* Deinde ibidem §. *Sed adhuc, & seq.* altera pars Conclusionis expressè deciditur : quæ proin est certa, & communis Theologorum. Et hinc in Rituali Romano Pauli V. prohibetur, baptizare amentem, qui cum aliquando habuerit usum rationis, priusquam incidit in amentiam, nunquam ostendit voluntatem recipiendi Baptismum.

40. CONCL. VI. Nihilominus in adultis ad validè recipiendum Sacramentum sufficit quælibet intentio ex tribus supra enumeratis, scilicet tam actualis, & virtualis, quam etiam sola intentio habitualis : unde ad susceptionem Sacramenti non requiritur, ut quis, dum suscipit Sacramentum, actu intendat, vel paulò antè intenderit illud suscipere ; sed sufficit, ut aliquando intenderit, & hanc suam intentionem per actum contrarium necdum revocaverit. Ita rursus communis ; & habetur cit. c. *Majores. §. fin. de Baptismo.* Ratio est : quia intentio ex parte suscipientis, solum requiritur ut dispositio, seu conditio, per quam suscipiens intelligitur non repugnare Sacramento ; non autem requiritur ut principium actionis Sacramentalis, sicut requiritur ex parte Ministri conficientis Sacramentum. Hinc si

Et quæ sufficit in adultis ?

41. Objicias. Ex parte Ministri, seu conficientis Sacramentum, non sufficit sola intentio habitualis ad valorem Sacramenti ; ergo hæc neque sufficit in suscipiente. Resp. negando consequentiam, & paritatem. Disparitas desumitur in primis ex ipsa Christi institutione, quæ nobis innotescit ex perpetua traditione Ecclesiæ, atque unanimi Doctorum consensu. Deinde ex eo : quia utique plus requiritur ad agendum, quam ad patiendum, seu recipiendum : atqui in proposito Minister est agens, & habet se activè in administratione Sacramentorum, quoniam ipse v. g. baptizat ; recipiens verò habet se passivè, ipse enim est, qui baptizatur, confirmatur, &c.

Disparitas quoad hoc inter Ministrum, & recipientem.

Tttt

QUÆ.

Q U Æ S T I O I V.

Quænam ex parte Ministri requirantur ad legitimam Sacramentorum administrationem ?

42. **C**ONCL. I. Generatim ad legitimam, simulque meritorem Sacramentorum, Ministrum consecratum requiruntur, administrationem, ex parte ipsius requiritur potestas, vitæ probitas, debita intentio conficiendi Sacramentum, & observantia Rituum Ecclesiasticorum. Ita communis; & patebit ex dicendis.

43. **C**ONCL. II. Nihilominus infidelitas, seu improbitas Ministri, si cætera requisita adsint, neutiquam invalidat Sacramentum. Ita omnes Catholici; & estque novissimè definitum in Concilio Trid. *Sess. 7. can. 12.* his verbis: *Si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem modo omnia essentialia, qua ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum: anathema sit.*

44. **C**ONCL. III. Et si Minister in peccato mortali existens validè administret Sacramenta, ut dictum: nihilominus ad ea ministranda licitè, & sine peccato mortali ministranda, requiritur in Ministro consecrato status gratiæ. Ita communis. Nam hoc ipso, quòd Sacramenta sint instituta à Christo ad nostram sanctificationem, & Minister ad eorum dispensationem specialiter consecratus, oritur obligatio ad illa ministranda in gratia: siquidem sancta sunt sanctè tractanda. Hinc *Levit. c. 21.* dicitur; *Sacerdotes incensum Domini, & panes Dei sui offerunt; & idè sancti erunt.* Et *Isaïæ 52.* *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Et *S. Augustinus, relatus c. Omnia. 1. q. 1.* inquit: *omnia Sacramenta, cum absint indignè tractantibus, profunt tamen per eos dignè sumentibus.*

45. Dicitur notanter, *In Ministro consecrato.* Quia Laicus, vel etiam Paganus, baptizans in casu necessitatis, non tenetur sub novo peccato mortali esse in statu gratiæ: cum tales non sint Ministri consecrati, sicuti sunt Sacerdotes, qui virtute Sacramenti Ordinis accipiunt potestatem solemniter baptizandi, consecrandi, &c. specialè que gratiam ad talia Sacramenta ritè ministranda obtinent. *Sannig dist. 1. de Sacramentis, quest. 14. n. 8.* cum communi.

46. Limitant passim Doctores allatam doctrinam, nisi adsit casus extrema necessitatis, vel impossibilitatis. Quia, si quis v. g. debeat

beat administrare Sacramentum Baptismi puero agonizanti, poterit illud etiam peccato mortali irreveritus administrare, si non possit tam cito elicere contritionem de peccato commisso: si quidem concurrentibus duobus præceptis impossibilibus, illud magis obligat, cujus transgressio magis nocet. In praxi tamen hæc limitatio rariùs poterit habere locum, nisi forsan in Ministro ob casus inopinati emergentiam perplexo, aut perturbato, vel ratione inadvertentiæ: nam alioquin contritio de peccatis admissis poterit brevissimo tempore, & quasi unico momento, præmitti, & concipi à Ministro, si voluerit.

47. Hinc inferunt Doctores, si duo Sacerdotes velint sibi invicem confiteri, & ambo sint in peccato mortali constituti, eum, qui primo loco alterius excipit Confessionem, teneri antea præmittere Contritionem perfectam: quia alioquin administraret Sacramentum Pœnitentiæ in peccato mortali. In altero autem, qui primo loco confitetur, sufficeret attritio cum Confessione Sacramentali.

Corollarium de duobus Sacerdotibus sibi mutuò confitentibus.

48. CONCL. IV. Etsi graviter peccet, grandèque sacrilegium committat (qui in statu peccati mortalis constitutus, scienter celebrat SS. Missæ Sacrificium; adhuc tamen gravius peccat is, qui peractis cæteris simulat se consecrare, & non consecrat. Ita declaravit Innocentius III. c. De homine de Celebrat. Missar. ubi refertur casus de quodam incauto Presbytero, qui propter conscientiam peccati mortalis, in quo se constitutum novit, nec tamen Missarum solemniam ob urgentem necessitatem intermittere potuit; peractis cæteris cæremoniis, sed omissis verbis Consecrationis, Missam celebrare se finxit. Rationem dat Pontifex, quod alter sacrilegè celebrans, in solius misericordis Dei manum incidat: iste verò (fictè celebrans) non solum Deo, cui non veretur illudere, sed populo, quem decipit, se astringat. Idem servatâ proportionem dicendum de alijs Sacramentis. Et merito Innocentius XI. sequentem, ordine 29. Propositionem damnavit: *Urgens metus gravis est causa iusta Sacramentorum administrationem simulandi.* Nam, cum huiusmodi simulatio contineat etiam irreverentiam respectu Sacramentorum, ex nullo metu, quantumvis gravi, poterit licita reddi: cum irreverentia rebus sacris, sanctissimisque Sacramentis illata, sit intrinsecè mala.

Graviter peccat celebrans in peccato mortali, sed gravius quam si simulata se consecraret.

49. Quæritur I. An Sacerdos plures communicans, vel plurium Confessiones excipiens in statu peccati mortalis, tot

Quot peccata committat Sacramentalia.

Sacerdos, plu- peccata numero distincta committat. quot Sacramenta admini-
 res commu- strar? Ratio dubitandi, atque affirmativam tenendi, est: quia
 nicans in interveniunt tot actus externi completi, quot fiunt indignæ ad-
 statu malo? ministraciones sacramentorum; ergo & tot peccata numero
 distincta.

Sententia rigida quorundam. 50. Et quidem non desunt Doctores, qui hoc ulterò conce-
 dunt, ob rationem dictam; & præsertim, qui id admittunt de
 Confessario audiente plurium Confessiones in statu malo: si-
 quidem hujus judicium Sacramentale finitur, ac variatur in sin-
 gulis Confessionibus auditis. Imò Bonacina *disp. 1. de Sacrament. in*
genere, quest. 3. punct. 2. num. 15. post Coninch, & alios, hoc concedit
 etiam de eo, qui communicat alios in peccato mortali: ait
 enim talem toties peccare, quoties Hostias distribuit; cum
 sint plures Sacramenti distributiones, & plures actiones termi-
 natæ & completæ, etiamsi fiant successivè. Itis tamen non ob-
 stantibus,

Plures simul 51. Resp. I. Sacerdos in peccato mortali plures simul
 communi- communicans, sive præbens eidem SS. Eucharistiæ Sacramen-
 cans, com- tum, est reus unius duntaxat peccati mortalis, licet gravioris.
 mittit u- Ita Marchantius *tom. 3. Tribunalis, tract. 3. tit. 4. quest. 2. concl. 2.* Fil-
 num nume- liucius *tract. 1. num. 87.* Henriquez, & probabile censet Tannerus
 ro pecca- *tom. 2. disp. 4. quest. 2. n. 56.* Ratio est: quia totus ille actus com-
 tum, sed municandi habet se per modum unius Convivij Spiritualis, & i-
 gravius. psamet administratio Sacramenti censetur moraliter unum Mi-
 nisterium sacrum ex pluribus quasi actibus partialibus constitu-
 tum; unde & Christus Dominus in ultima Cœna Apollolis dice-
 bat per modum unius Ministerij: *Accipite, & comedite ex hoc*
omnes.

Sententia negans, talem peccare mortaliter, 52. Quinimò Vasquez *3. part. disp. 135. cap. 3. num. 39.* exi-
 stimat, & favet Maltrius *disp. 16. Theol. Mor. num. 42.* citans alios,
 Sacerdotem, qui in statu peccati mortalis Fidelibus Echari-
 stiam distribuit, ne quidem mortaliter peccare; eò quod tunc
 is non conficiat, neque recipiat Sacramentum, sed jam antea
 Rejicitur. confectum duntaxat dispenset. Verùm, quidquid sit de proba-
 bilitate hujus sententiæ, oppositum, sive talem peccare morta-
 liter, videtur probabilius. Tum quia communicans alios verò
 ministrat Sacramentum. Tum quia Apostolus *1. Timoth. 3.* e-
 tiam Diaconos, olim Calicem consecratum Fidelibus dispen-
 santes, voluit esse *habentes Mysterium fidei in conscientia pura.* Et
 hinc *c. Sciscitantibus, 15. q. 8.* de malis Sacerdotibus, alios com-
 muni-

municantibus, dicitur: Quoniam mali bona administrando, se tantummodo ledunt, & consequenter peccant.

53. Resp. II. Sacerdos, qui se unâ vice ad audiendas Confessiones exposuit, quamvis centum poenitentes successivè se præsentent, ab eoque in statu peccati mortalis absolvantur, probabiliter unum duntaxat peccatum committit. Ita Marchantius loc. cit. Ratio est: quia & talis Confessarius Ministerium, seu actionem naturâ suâ communem omnibus accedere volentibus exercet, quam explicamus per verbum, Pro tribunali sedere, Judicium facere &c. Et per hoc patet ad rationem dubitandi: quia hoc spirituale Ministerium non est completum per singulas absolutiones Sacramentales. Dicitur notanter unâ vice: si enim quis pluribus vicibus inter se moraliter distinctis se exponeret ad Confessionale, vel alios communicaret, sicuti censeretur multiplicare Ministeria, ita fierent numero distincta peccata.

Quid de Sacerdote, plurimum Confessiones audiente in peccato mortali?

54. Quæritur II. An possint licitè peti Sacramenta à Ministro indigno? Ubi per Indignum Ministrum intelligitur is, qui est in notorio peccato mortali constitutus, quamvis habeat potestatem Sacramenta conferendi, sive dein sit excommunicatus, sive non. Et dicitur, in notorio peccato mortali. Nam, si peccatum alicujus non sit publicum, certum est, quòd quis ab eo possit petere sacramenta; cum possit, ac debeat præsumere, ipsum non esse indignum. quia nemo præsumitur esse malus, nisi probetur malus. Hoc prænotato,

Sacramenta an possint peti ab indigno Ministro?

55. Resp. I. Si Minister est excommunicatus, & vitandus (quales defactò solùm sunt nominatim excommunicati & denunciati, ac notorij percussores Clericorum) non est licitum, ab eo petere Sacramenta, nisi in casu necessitatis. Ratio est: quia alioquin communicaret quis in Divinis cum excommunicato vitando; quod illicitum est extra casum necessitatis.

Præsertim excommunicato vitando.

56. Resp. II. Loquendo de Ministro tolerato, licitum est non tantum in casu necessitatis, sed etiam extra casum necessitatis, ac ob spirituales profectum animæ suæ petere, ac recipere Sacramenta à Ministro, cui ex officio Sacramenta administrare incumbit; quamvis ille malus sit, ac in peccato mortali notorio constitutus. Ita Mastrius disp. 16. Theol. Moral. num. 51. cum communi. Desumitur hoc ex o. Sciscitantibus. 15. q. 8. ubi dicitur, quòd de manu Sacerdotis, quamdiu ab Ecclesia toleratur, licitè Sacramenta sumantur. Accedit ratio: quia subditus, utpote à Parochianus, habet jus petendi, & accipiendi Sacramenta à suo

Quid de Ministro indigno tolerato?

Et eo, qui
non tenetur
ex officio
ministrare
Sacramēta
An peccet
graviter,
qui alias
functiōnes
sacras exer-
cet in statu
malo?

Parocho; neque tale jus is amittere censetur ob sui Parochi malitiam: præsertim cum is, dummodo velit, possit se prius vel per Confessionem, vel saltem per Contritionem, restituere in statum gratiæ.

§ 7. Et hoc idem dicendum de eo, qui est expositus ad ministranda Sacramenta, quamvis ex officio eadem administrare non teneatur: nam is, si sit in statu peccati mortalis (quod tamen non facile præsumendum) sibi soli nocet.

§ 8. Quæritur III. An peccet graviter, qui alias functiōnes Ordinum exercet cum conscientia peccati mortalis: ut si Lector Lectionem, Subdiaconus Epistolam, vel Evangelium Diaconus, in tali statu solemniter canter; aut si Sacerdos Aquam Lustralem benedicat, SS. Eucharistiam de uno loco in alium transferat, vel Matrimonio assistat; seu Episcopus benedicat Sacras vestes, consecret Ecclesias, vel alia hujusmodi præstet? Resp. negativè: quia tales actiones neque sunt Sacramenta, neque immediatè ordinantur ad sanctificationem animæ. Bonacina *cit. punct. 2, §. 1.* Maltrius *num. 42.* & alij, paucis exceptis.

DISTINCTIO II.

De Effectibus, ac Necessitate Sacramentorum.

QUÆSTIO I.

An, & quomodo Sacramenta conferant gratiam?

Effectus Sa-
cramento-
rum duplex,
Gratia, &
Character.

Post explicatam naturam, atque essentiam Sacramentorum novæ Legis, progrediendum est ad eorundem effectus declarandos (agendo simul de debitâ dispositione, ad consequendum effectum gratiæ Sacramentalis requiritâ) nec non explicandum singulorum Sacramentorum necessitatem. Et quidem, quantum ad primum attinet, duplex communiter statuitur effectus Sacramentorum, Gratia videlicet & Character. Horum prior per omnia Sacramenta dignè recipientibus ex opere operato confertur; posterior verò non nisi per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem: prout amplius in progressu dicetur, incipiendo à gratia sacramentali, utpote principali Sacramentorum effectui.

2. Ad-